DE ADIECTIVIS POETARVM LATINORVM COMPOSITIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXIII MENSIS NOV. A. MDCCCLXXVIII HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

FRIDERICVS SEITZ

WEILBVRGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

IVLIVS ASBACH.
CAROLVS FVHR, DR. PHIL.
ROBERTVS SOEHNGE.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

1878.

GENERAL

PATRI OPTIMO

Poetarum quod proprium quodam modo est genus adiectivorum quae ex artiore sive synthetica oriuntur coniunctione duorum vel trium vocabulorum plus minusve laesorum decurtatorum immutatorum, apud Latinos quae sit formatio, quantum hi differant a Graecis maxime, egregia cum cura quaesitum est a P. Uhdolphio[1]; Plauti artem nuper inlustravit C. Besta[2]. Verum restare videtur iucundum officium et unde satis perspici possit quae in adiectivis componendis diversorum diversi temporis poetarum fuerit consuetudo, ut certo consilio accuratisque exemplorum indicibus definiatur, a Catullo inde et Vergilio exculta magis epithetorum arte quae qualiaque adiectiva composita novarint aut certe confingere potuerint singuli poetae. Etenim hoc negotium inchoatum abiecit qui epicorum et elegiacorum lingua simul et versus quantum profecerit sonoris compositis paucis adumbravit magis quam demonstravit F. C. Hultgrenius[3]; et cum paucissima tantum conligeret, antiquis intermiscuit recenti demum aevo conficta. Qui vero cum singulorum indagando dicendi generi operam navarent adiectiva quidem composita tetigere, ut Lucreti R. Schubertus[4], Varronis L. Stuenkelius[5], Catulli Conr. Hupius[6], Vergili Th. Ladevicus[7], Horati aequaliumque A.

1) De ling. lat. voc. comp. Vratisl. 1868.

2) De compos. verborum Plaut. Vratisl. 1876.

3) cf. Fleckeis. ann. 1873. pg. 763 sq.

4) De Lucret. verb. form. Hal. Sax. 1865. pg. 26 sqq.

5) De Varron. verb. form. Argent. 1875. pg. 75 sq.

6) De genere dic. Catull. Monast. 1871. pg. 25 sq.

7) De Vergil. verb. novat. Neostrel. 1869.

Rothmalerus[1]), nihil fere fecerunt nisi contulerunt formas. Attamen ne hac quidem in re neque Ladevicus neque Rothmalerus ea qua par erat quaque nihil relinquerent corrigendum vel addendum versati sunt diligentia. In poetarum qui aevo Augusteo viguere sequiores nemo quod vidi inquisivit usum; saeculi primi epicis nulla fere esse grata nisi Vergili Ovidique exemplis firma quod data occasione tulit iudicium Luc. Muellerus[2]), nobis in singulis confirmandum reliquit.

Sed singulos adire nolo, priusquam pauca quaedam praemonuerim, ne eadem pluribus locis cogar repetere utque fundamentum quoddam nanciscar totius disputationis; hinc simul non latebit, a Catullo cur sumpserimus exordium indices eorum conscripturi quae singuli putandi sunt confinxisse.

Atque iuvabit plenius persequi confingendi studium quantum adiuvetur, quantum coerceatur metri necessitate. Praetulit omnis latinitas composita quae ex nomine coalescunt et verbo; e quibus apud dactylicos mirum quantum increbescunt quae ducuntur a verbis f e r r e et g e r e r e. Qualia pauca admittit Plautus, Terentius nullum, Lucreti 21 sunt inter 75 composita, ($1:3^2/_3$), Ciceronis 15 inter 41 ($1:2^3/_4$), Catulli 8 inter 43 ($1:5^1/_8$), Vergili 28 inter 104 ($1:3^3/_4$), Properti 11 inter 20 ($1:1^4/_5$), Ovidi 77 inter 191 ($1:2^1/_2$); vides Catullo haec minus placuisse quam ceteris. Porro nulla nisi huius generis novarunt Gratius n a r d i f e r 314, quod est singulare, et Manilius qui fertur s p i c i f e r II, 442. Qui lenissimorum amor apud primi saeculi epicos obtinuit ac Senecam[3]), quod miror non vidisse Hultgrenium. At

---

1) De Horat. verb. invent. Berol. 1862.

2) De re metr. pg. 383.

3) Pergo addere Lucani inter 10 nova hoc modo formata esse 7, Valeri 1 inter 8, Sili 3 inter 17, Stati et Senecae 6 inter 13, ubi dubia non numeravi. Valerius igitur ceteris magis talia despexit.

huius formationis vetusta quorum pars prior est adiectivum ut dulcifer Plaut. Pseud. 1262 Enn. ann. 71 et anxifer Cic. Soph. 1, 32. cons. 2, 77 — plura utique non sunt — Lucretio Catulloque improbantur neque minus posterioribus usque ad Avienum et Paulinum Nolanum. Qua re vel hac de causa expungendum erat Laurentianus quod exhibet Ovid. M. II, 275 „sustulit omniferos[1]) collo tenus arida voltus" (oppressus Flor.), quod dico Hultgreni causa, qui male acquievit in hac lectione. Verum placuit Avieno serenifer descr. orb. terr. 637. Phaen. 989. Prog. 413, Paulino sanifer c. 23, 224; quibus accedunt amoenifer Venant. Fort. vit. Mart. IV, 4. sereniger A. L. 389, 4; hos excipit infimae latinitatis poeta Drepanius confingens largifer ad Vulfin. 5; cf. L. Mueller. de re metr. pg. 383. Ceterum apud auctorem carminis de aegritudine Perdicae quod ex codice Harleiano publici nuper fecit iuris et aevo Dracontiano vindicavit Aem. Baehrensius „unedirte latein. Gedichte" Leipz. 1877 pg. 11, si traditur v. 116 „tales triste feras reddit de pectore voces", equidem nullus dubito, quin profectum sit a manu poetae tristiferas pro tristificus singulariter dictum.

Itidem illius generis pleniora ut puta Enni belligerans ann. 201 et Lucreti frugiferens I, 3 non minus exulant apud posteros quam qualia altitonans Enn. ann. 531 Cic. cons. 2, 36 Lucr. V. 745. altivolans Enn. 84. Lucr. V. 433. stellumicans Varr. sat. 118, 2 R. 92, 4 B.[2]) suaviloquens Enn. ann. 304. Lucr. I, 945. IV, 20. velivolans Enn. trag. 89; illa enim decurtantur, haec levioribus utique pelluntur

---

Porro huius formationis et volgata et nova eorundem poetarum sunt 33 et 26 et 46 et 50 et 38.

1) Quod aliunde non notum est nisi forte credis Hartelio de versu 200 carminis de resurr. mort., quod editur cum Cypriani scriptis, apud Hartelium t. III, 3 app. pg. 308 sqq.

2) Mitto monstrum margariticandicans sat. 119, 2 R., quod Vahlenus restituit, probavit Riesio.

formis etiam tum non ignotis. Gratum igitur abhinc omnibus velivolus, quod ut velivolans navium est epitheton Enn. ann. 111 trag. 381 aut puppium Lucr. V, 1442, metonymia autem satis audaci mari adponitur a Vergilio A. I, 224. Frustulis enim quae Livi servavit Macrobius sat. VI, 5, 10, Laevio primus vindicavit Ribbeckius quaest. scen. mant. pg. 245, „tu qui permensus ponti maria alta velivola" ut suppleatur versus malim reddere cum Muellero quem desideramus ablativum carina; cf. Verg. A. III, 157 nos tumidum sub te permensi classibus aequor; carina velifera dicitur Prop. IV, 8, 35. Ov. M. XV, 719. P. III, 2, 67. Velivoli temptavit Th. Birtius ad hist. hex. lat. symb. Bonnae a. 1876 edit. pg. 21; neque tamen inique quo ornetur adiectivo caret genetivus neque nudatus friget; apte enim componas Catull. 64, 179 ponti truculentum aequor, ubi caveas ne Peiperum audias; Tibull. I, 7, 19 maris vastum aequor. Verum sat memorabile est Vergilium secutos esse omnes fere et quidem Ov. P. IV, 16, 21. Iuvenc. hist. ev. II, 11 Auson. techn. 55. Prudent. c. Symm. II, 801. Dracont. d. d. II, 185. Coripp. Ioh. I, 206. Unus nisi quis me fugit post Vergilium vetustis obsecutus naves dicit velivolas, qui primo aut secundo p. Chr. saeculo posuit titulum hexametrum editum ab Henzeno bull. dell' inst. di corr. arch. a. 1872 pg. 30; cf. v. 2. Hoc tamen ut aperta imitatione provectum nolo premere, ut titulum ante Hadriani aevum non esse compositum affirmem.

Primus vero qui plenius repetiit compositum nos advertit Tullius Maximus leg. leg. VIII. gem. fel., qui aram dedicavit carminibus variis adornatam C. I. L. II., 2660. Haec et alia produnt peculiaria et nova altifrons III, 1 et silvicolens I, 5 utrumque singulare. Legatus aliunde quantum vidi prorsus ignotus est; Vespasiani aetate felicis cognomen nactam esse legionem docuit Huebnerus, qui litterarum formas Traiani adsignat aetati aut Hadriani; titulos ultra M. Aureli principatum propter cervom III, 1

genetivum differre noluit Buechelerus anth. lat. ep. spec. I (ind. lect. aest. Gryph. 1870) pg. 5. Atque primo saeculo eos exaratos esse quominus credamus O. Kellero in Fleckeis. ann. 1873 pg. 604 nescio an dissuadeat ipsum illud compositum plenius, quale ante Hadrianum quemquam finxisse persuadere mihi non possum; dissuadet certe varietas numerorum. An illud in superioris ordinis homine condonaveris linguae inscitiae? Ab illo aetate fortasse non multum distat Symposius, cui placuit raucisonans aenig. 19, 1. (A. L. 286, 72), quod codicum consensu tutum — neque enim quidquam refert quod praebet Salmasianus rauca sunans — disiunxerat Muellerus l. l., accepit in Fleckeis. ann. 1866 pg. 267. Hac in re conspirat Symposius cum saeculi quarti christianis, id quod omnino negavit Muellerus l. l. pg. 55, item cum Avieno. Hos enim cum multa vetustissimorum pleniora repetiisse tum nova plura confinxisse paucis adumbravit Muellerus et nobis in singulis versaturis plenius patebit.

Ceterum ex illorum numero excipienda sunt quae a numerali incipiunt vel prosario vix effugienda. Et iniuste discerpsit L. Muellerus pg. 382 quod post Lucretium volgavit Valerius Flacc. V, 247 omnituens. Sed animadvertas huiusmodi nova nullum post Lucretium confinxisse.

Porro metri gratia et vice tritissimae vocis Vergilius videtur iterasse — est enim genuinum — adhuc ignotum navifragus Scylacei epitheton A. III, 553, quod epicis imprimis abhinc est gratum, non tamen solis, ut visum est Koenio de ling. epic. pg. 233. Sed digna res est in qua diutius moremur, ne illius compositi mobilem esse et notionem et prosodiam multorum inveterascat error. Atque compositum qui post Vergilium admisere, memorabile est cunctos correpta ubique syllaba altera ita substantivo adponere, ut activam genuinamque, quae rarissime tribuitur contracto [1]), ei subiciant notionem. Sunt vero Ovidius M.

---

1) Quod passivo sensu semper ponit Vergilius, Ovidius deciens

XIV, 6 (fretum) et Tr. V, 8, 11, quo versu qui valde diuque torsit criticos, Heinsi coniectura „vidi ego navifragos piratas aequore mergi“ quae melius satisfaciat sensui equidem cognitam non habeo; adde Stat. Th. V, 415 (saxa), auctor. epist. Didus A. L. 83, 51 (sal), Auson. eph. 162 pg. 59 Bip. (mare), epist. 7, 40 (aequor), Prudent. c. Symm. I. praef. 9 (noti). Hinc igitur non uno nomine displicet Culicis versus 357 restitutus a Scaligero „cum Phrygiae vaga praeda peremptae Fluctuat omnis in aequoreo navifraga fluctu“ (naufragia codd. excepto Vossiano)[1]. Dubiam esse productionem scite animadverterat Ribbeckius app. Verg. prol. pg. 40 Scaligero antea obsecutus. Itidem peccatum est a Jacobo et nescio quibus ante eum, quod scripserunt versum qui fertur Manili V, 542 „incubuit pontus, timuit navifraga tellus (naufragia codd.); ubi audias Bentleium terrae nomen periisse suspicantem. Atqui per se parum probabile est produci ante — fr litteras et sedis quintae arsis praecipuam hac in re esse vim vix est credibile. Facilius crediderim compositum pro contracti ambiguitate passivam adsumere posse notionem; sed nullum inveni qui hoc ausus sit; et certe Baehrensius Draconti versum 44 carminis 10 praeter necessitatem incipit in Fleckeis. ann. 1873 p. 270 navifragus ceu nauta petit e. q. s., ubi non video cur displiceat quod traditur nudatus.

Sed ne praepropere iudicasse videamur, persequamur rem. Itaque cetera quotcunque eiusdem sunt formationis exempla neque alteram porrigunt syllabam neque passivam adsumunt notionem ante Venantium Fortunatum. Et accipe

---

septiens, semel activo F. IV, 500 sicuti Tibull. II. 4, 10 et Hor. c. I, 16, 10; ambigua notio satis trito expeditur usu.

1) Versus est intricatissimus; et cum Ribbeckio obtemperare Vossiano haesito; qui mutato verborum ordine „omnis in aequoreo fluitat iam naufraga fluctu“ magisque particula iam addita satis inutili vereor ne se ipse arguat correctiunculae.

Enni saxifragus ann. 564 (unda) Lucreti fluctifragus I, 305 (litus), quod repetiit is qui scripsit carmen de Iona v. 39 (Cyprian. ed. Hartel. III, 3 app.) silvifragus I, 275 (flabrum); accedit Martiani Capellae foedifragus IX, 912 (chaos), quod accepit fortasse a Laevio apud Gellium XIX, 7, 5, Venanti undifragus misc. VI, 31, 2 ed. Luchi (cursus)[1]), de excid. Thuring. I, 107 (procella); idem unus quantum vidi peccavit haec scribens misc. III, 4 in. „oscitante me prope finitima pelagi, blandimento naturalis torporis inlecto[2]) et littorali diutius in margine decubante, subito per undifragos vestri fluctus eloquii e. q. s. Verum non mirandum hoc in Venantio, quippe cui placuerit ruinarum epitheton flammicremus misc. I, 15, 47; qualia enim Lucreti II, 353 aliorum turicremus et Prudenti ham. 727 urbicremus, activam semper habent notionem; quod vero contra facit Ovidi M. XII, 287 semicremus non alio sensu positum atque quod idem novavit semicrematus Ib. 532, huic a numerali satis paratum videtur veniae.

Verum in viam ut redeam, idem quod Venantium ausum esse Palladium nolo statuere cum Buechelero versui A. L. 584, 3 qui editur apud Riesium „Thethyos undivagae tum prosilit aequore Titan" reddenti undifrago (cf. fasc. II. add. pg. LXXVII); namque est in Vossiano undifuga. Sed enim Parisini undivagos et Turicensis undivaga prodere potius videntur undivago. Bonus videlicet poeta hoc turgidius quam pulchrius dictum non scripsisset[3]);

1) Ubi scribas „saepius optaram fieri me remige nauta (nautam codd.) Cursibus undifragis ut ratis iret aquis". Turbavit librarium pronomen; ablativum non est cur mireris in serae aetatis poeta.

2) In lecto codd.; emendationem debeo comitati Frid. Leonis de Seneca nunc iam optime meriti; idem ex apparatu quem congessit Venantiano quantum mea intererat benevole mecum communicavit.

3) Quod recentium demum esse compositum miror quomodo affirmare potuerit Schenkelius Orest. trag. praef. p. 32. Novavit illud Silius XIV, 572.

sed componas Corippi [Ioh. VII, 344 undivagum salum, de laud. Iust. II, 328 fluctivagum pelagus; cf. etiam Orest. trag. 362 undivagis fluctibus. Num vero iniquius hoc loco Tethys caret epitheto quam A. L. 580, 4 et 589, 3? Et fatendum est VNDIVAGO facilius quam VNDIFRAGO abire potuisse in VNDIFVGA Vossiani lectionem; modo enim sumpseris nescio quo casu A illic intercidisse vel fefellisse librarium, in capite partis posterioris truncatae F addi fere necessarium erat.

Ceterum male alteram produxit Rob. Sprengerus Culicis v. 352 nuper qui induxit aliunde non notum haec coniciens in Fleckeis. ann. 1877 pg. 348 „ac ruere in terras caelifraga. sic modo laeta" (caeli fragor. hic codd.); et vide quam claudo pede hoc sequatur, nam substantivum unda praecedit in v. 349. Accedit quod non caret offensione poctae Vergiliano quod ignorant sequiores vindicare compositum. Sed haec res infra plenius patescit.

Haec hactenus. Verum tamen vel versus hexameter confingendi studio magis adversatur quam credideris. Atque quae plus habent quinque syllabis evitant fere dactylici; plus vero complectentia spatii cuncta nominis proprii mitigantur necessitate nullaque eorum in hexametro iusta est sedes nisi ut occupent prius hemistichium ut puta Apenninicola Apenninigena Constantinigena (Verg. A. XI, 700. Ov. M. XV, 432. Sil. V, 626. VI, 167. Porfyr. 4, 3 M.)[1] aut incidant post penthemimerem sicuti Ausoni aquilonigena Mos.

---

1) Hoc enim artificium magis magisque sprevere cultiores. Atque cum Lucretius—Enni exemplum non extat—prius hemistichium deciens septiens uno compleat vocabulo (1 in vv. 468), quinquiens ut hoc sit syllabis longis refertum (II, 873. 929. IV, 992. V, 964. VI, 1100), semel ut sit nomen proprium (I, 85), Vergili novem exempla (1 : 1434) omnia habent nominis proprii excusationem, Ovidi in transformationibus octo ex undecim (1 : 1096); apud quem ter deficit utraque venia (III, 15. IV, 33. XIII, 653). At Horatius inter decem exempla

407 et Prudenti paradisicola ham. 928. Porro attendas tantum metro concedere coactum esse Ovidium ut decurtaret substantivum confingens caducifer M. II, 708 et quod gravius est harundifer T. V, 637. Quae tamen ausus est non sine priorum auctoritate; adsunt Varronis sat. 146, 9 R. 204, 2 B. ardifetus, Ciceronis Soph. I, 32. cons. 2, 77 anxifer, ut mittam horrificus terrificus alia, de quorum formatione certi quidquam dicere non audeo. Neque vero peccavit Ovidius componens colubrifer M. V, 241 producta antepaenultima; neque enim alia mensura substantivum usurpatur ceteris neque Ovidio praeter M. IV, 782. Verum eo usque vergentis sane latinitatis progressus est versificator (A. L. 729), ut sibi indulgeret versum hunc (v. 3) absit ut albiplumem valeat calcare columbam; quod eliminare temerarium esset [1]).

(1 : 401) noviens admittit verbum latinum, et hunc secutus Iuvenalis octiens inter decem (1 : 383); Manilius bis ponit nomen latinum (III, 559. V, 63), semel proprium, si exceperis septiens illud recurrens quasi technicum Dodecatemorion; Gratius nullum praebet exemplum. Ex epicis vero post Vergilium nulla nisi nomina propria sunt Lucani (1 : 2015) et Valeri (1 : 1393), quaterna utriusque, Sili septemdecim ex viginti quattuor (1 : 508), Stati duodecim ex quattuordecim (1 : 776). Idem igitur hac in re observatur quod de versibus spondiacis invenit A. Viertelius in Fleckeis. ann. 1862 pg. 804 sqq. Iam vero Avienus cum inter quindecim huiusmodi metra (1 : 233) sex tantum praebeat nomine proprio excusata, rem confundit itemque Ausonius ter exhibens in Mosella (1 : 161) nomen latinum. At Prudentius (1 : 990) in continuis hexametris et Claudianus in carminibus quae prostant apud Ieepium nulla sibi indulsere nisi nomina propria et quina uterque; neque plus bis Corippus in Iohannide tali complet partem sinistram. Plura remitto, ne iustos excedam fines.

1) In versibus qui antecedunt „conspicua primum specie quam fata bearunt Desine pompifero tu violare toro" primum corruptum esse bene vidit Baehrensius mus. rhen. XXXI. pg. 104, male coniecit imprimis; hoc nimis prosarium evitant vel recentissimi poetae. Ineptum plane idem quod versui alteri reddidit sompnifero. Quo

Immo igitur fatendum est varietati vel obtrectare versum hexametrum et augere aequabilitatem. Et per se patet ex nomine et verbo quae omnibus fuere gratissima non posse coalescere metro apta nisi hoc incipiat a syllaba brevi, illius longa sit paenultima. At memorabile est in huiusmodi confingendis novis nullum Vergilium nomini subiunxisse verbum nisi quod placuerat prioribus; et semel tantum discessit ab eo Ovidius cum novaret faticanus sive mavis faticinus M. IX, 418. XV, 436. Porro quod idem fere cum Vergilio et Ovidio primi p. Chr. saeculi epicis est ornatus et paucissima hi sibi indulserunt nova, certe aliquantulum in eo est, quod idem omnibus placuit metrum.

Sed nolo hac in re exspatiari longius. Carminis vero indoles quantum faveat confingendi studio, quantum refragetur, in singulis versaturis nobis continget ut perspiciatur.

Age iam singulos adeamus et ordiamur a Catullo. Hic enim ut vetustae artis nihil retinuit nisi audaciam ita vel hac in re aevi Augustei poetis fuit exemplo. Hunc vero in enumerandis novis semper servabo ordinem, ut praemittam a nomine ducta et verbo, sequantur quae exeunt in substantivum aut adiectivum, utrobique exceptis quorum pars prior est numerale; haec pedestria maximam partem tertius complectitur index. Accipe igitur Catulli nova haec [1]):

*buxifer 4, 13. *coniger 64, 106. *ederiger 63, 23. *lasarpicifer 7, 4. noctifer 62, 7. sagittifer 11, 6. amplificus

---

modo enim quaeso fieri potest ut puella violetur toro somnifero? Illic desiderabis innuptam vel quod magis arridet puram; hic quod mihi ipsi satisfaciat non excogitavi.

1) Asterisco significabo quae nusquam nisi semel aut compluriens apud eundem occurrunt poetam. Adnotabo tamen ultra Corippi aetatem me non esse progressum. Non semel discedendum mihi erat a Franc. Teufelio de Cat. Tib. Prop. vocib. sing. Frib. Bris. 1872 pg. 27 sqq. Sed singula corrigere supersedeo.

64, 265. *iustificus 64, 406. *erifuga 63, 51. *Nysigena 64, 252. *fluentisonus 64, 52. *nemorivagus 63, 72. *multivolus 68b, 88. *omnivolus 68b, 100. — *silvicultrix 63, 72. *falsiparens 68b, 72. *pinnipes 55, 25. *plumipes 55, 27[1]). *properipes 63, 34. tardipes 36, 7. — primaevus 64, 401. semihians 61, 216. *semilautus 54, 2. semimortuus 50, 15. semirasus 59, 5. septemgeminus 11, 7. sesquipedalis 97, 5.

Praeterea cum Cicerone communia sunt aurifer 29, 19. Cic. Soph. I, 43. clarisonus 64, 125. 320. Cic. Arat. 280, cum Lucretio veridicus 64, 306. Lucr. VI, 6. 24. raucisonus 64, 263. Lucr. II, 619. V, 1084.

Sunt singula in vv. 87 (27 in vv. 2350), dubia si addis in vv. 75, si quidem fas est complecti diversissima diversi temporis carmina. At epyllion imprimis et Attidem compositis exquisitis exuberare dudum animadversum est. Est novum huius in vv. $18^3/_5$ (omnino in vv. 15), illius in vv. $45^1/_3$ (omnino in vv. 23). Invitavit carminum altitudo, illic insuper metri favor. Epigrammata pedestria non est cur moremur. Verum c. 61 compositorum ornatu magis est destitutum quam vetuerunt numeri breviusculi; et vacuus fere est cottidiano sane usui dicatus hymenaeus c. 62. Quibus magis stilum epicum adfectat c. 68b [2]). Iam quanto a ceteris distant epyllion et Attis, tanto haec inter se sunt similia. Quam rem carminum indole simpliciter explicare vereor ut sufficiat. Atque in hexametri arte epyllion ceteris carminibus antecedere scis observasse Th. Birtium l. l. pg. 24; carmen de Attide adulescentis non esse persuadere mihi

---

1) Ubi plumipedeis scribere praefero cum Conr. Rossbergio in Fleckeis. ann. 1877 pg. 176, quam tenere codicum flexionem graecam in verbo latino admissam; turbavit hic quoque librarium diphthongus.

2) Ubi cum novum est in vv. 40, Catullus audacior est quam in epyllio, non tamen ponderosior. Ceterum carmen inter priora esse constat.

non possum. Licet enim in re metrica sit perfectissimum, in dictione rude admodum videtur et incultum. Quid quod idem vocabulum intra pauciores versus compluriens haud eleganter repetiit Catullus; vide sis nemora v. 12. 20. 52. 58. 79 ubique sub fine versus positum, praeterea v. 32; vagus 4. 13. 25. 31. 36, quod totiens occurrit in epyllio v. 225. 271. 277. 380. 389, in ceteris tantum c. 61, 110. 65, 17; adde citus 30. 42. citatus 2. 8. 15. 18. 26. rabies 3. 44. 57. rabidus 16. 38. 93. rapidus 34. 44. 85. Qualia aliqua ex parte certe excusantur carminis indole; tamen ut variaret non defecissent cultiorem poetam, defecerunt tironem. An adfectata haec esse censes?

Iam quoniam carminum Catullianorum tetigimus ordinem, in transcursu pauca liceat addere de c. 49. Quo eximiam Ciceronis eloquentiam laudibus prosequi Catullum eique quod Caelium amicum Corneliumve (cf. Schwab. quaest. pg. 127. 321) vel ipsum defenderit maledicentiae reum [1]), persolvere gratias, miror credi etiam post O. Ribbecki (Catull. pg. 22) et O. Jahni (Cic. orat. ed. III. pg. 8) dubitationem indicatam tantum, non explicatam. Proficiscendum est a versu 5 „agit pessimus omnium poeta", qui iteratus aeque atque omnium ter recurrens in eadem versus sede poscit ut prematur. At Catullum putas se ipsum ardornasse epitheto quo damnavit Aquinios Caesios Suffenos Volusios? Et impedit stabilis huius vocabuli apud Catullum usus (cf. c. 14, 23. 36, 6) quominus maledicus hoc esse statuenti adstipulemur Pleitnero aut eo accipiamus sensu quo voluerunt Helbigius et Schwabius l. l. pg. 127 paenituisse arbitrati Catullum olim quod versibus celebrasset Lesbiam [2]); quod in hoc carmine quid sibi velit non perspicio. Neque enim intellegi potest illud pessimus nisi de poeta mali

---

1) Id quod inficete sumit C. Pleitnerus in libro qui inscribitur „Studien zu Catullus" Dilling. a. 1876 edit. pg. 128 sq.

2) Contra quos vide etiam quae monuit Ribbeck. l. l. pg. 52.

hebetisque ingenii. De versu autem ultimo „quanto tu optimus omnium patronus" prorsus mihi persuasit E. Woelfflinus [1]) Catullum perstringere ratus Ciceronem, ut pote qui postquam anno 698 a. u. accusarit Vatinium, eundem duobus annis post non dubitaverit defendere. Hoc tamen si statuimus, neque in incerto relinquendum erat, quare commotus Catullus ederet illud de Cicerone, et suam verba v. 4 sq. „gratias tibi maximas Catullus Agit pessimus omnium poeta" poscunt explicationem, id quod fugit Woelfflinum. Atque nescio num alii, equidem semper mihi visus sum in versu 5 audire ipsius Ciceronis de Catullo iudicium, quo hic lacessitus acerbe invehitur in oratorem. Ita insueta quoque et sollemnis „Marce Tulli" adlocutio expeditur ut severi et omnipotentis iudicis. Ceterum ex c. 50 ad Calvum dato de nostri carminis indole aliquid concludi posse ariolatus est Suessius ceteroqui de Catullo et Calvo amicis apte exponens; sociavit haec carmina fortasse metrum.

Quae si recte disputata sunt, c. 49 non est tironis, ut visum est Westphalio multum nuganti de Cicerone et Lesbia (cf. pg. 241), sed ex novissimis scriptumque post d. V. Non. Quintil. non multo ante quam Catullus edidit librum. Hoc enim mense Vatinium a Cicerone defensum conlatis locis Ciceronis ad Att. IV, 6, 5 et ad Quint. frat. II, 16, 3 conligendum est et conlegit G. Matthiesius in comm. phil. in G. Curti honor. Lips. a. 1874 edit. pg. 100 adn.

Iam Vergilio nova placuerunt haec [2]): aliger A. I, 663. XII, 249. caelifer A. VI, 796. conifer A. III, 680. fatifer A. VIII, 621. IX, 631. fumifer A. VIII, 255. IX,

---

1) Cuius sententiam exposuit I. Suessius Catullian. I. Erlang. 1876 = act. sem. phil. Erlang. I 1877 pg. 29 sq., probatam etiam K. P. Schulzio in ann. gymn. Berol. 1877 pg. 700 et G. Jungclausseno in Leutschi ind. phil. 1877 pg. 584.

2) Ladevici et Rothmaleri l. l. pg. 21 sq. peccata singillatim corrigere omitto.

522. imbrifer G. I, 313. legifer A. IV, 58. *malifer A. VII, 740. olivifer A. VII, 711. ostrifer G. I, 207. pacifer A. VIII, 116. pinifer ecl. 10, 14. A. IV, 249. X, 708. somnifer A. VII, 758. soporifer A. IV, 486. turifer G. II, 139. volnificus A. VIII, 447. Apenninicola A. XI, 700. navifragus[1]) A. III, 553. nubigena A. VII, 674. VIII, 293. omnigena A. VIII, 698. Phoebigena A. VII, 773. armisonus A. III, 544. — aeripes A. VI, 802. cornipes A. VI, 591. aequaevus A. II, 561. V, 562. auricomus A. VI, 141. ignipotens A. VIII, 414. 423. 628. 710. X, 243. XII, 90. — bicolor A. V, 566. VIII, 276. bicornis G. I, 264. A. VIII, 727. biforis A. IX, 618. bifrons A. VII, 180. XII, 198. biiugis G. III, 91. A. XII, 355. *bilix A. XII, 375. centumgeminus A. VI, 287. quadrifidus G. II, 25. A. VII, 509. seminex sive mavis seminecis A. V, 275. IX, 455. 542. X, 462. XII, 329. semustus A. III, 578. V, 697. XI, 200. tricorpor A. VI, 289. trifaux A. VI, 417. tridens A. VIII, 696. trilix G. III, 467. V, 259. VII, 639.

Accedunt dubia: odorifer A. XII, 419. Prop. III, 4, 7. turriger A. VII, 631. X, 253. Prop. IV, 16, 35. longaevus A. II, 525 saepe Prop. V, 1, 52 (de versu III, 4, 31 credidi Lachmanno). biformis A. VI, 25. 286. XI, 651 Hor. c. II, 20, 2. semiputatus ecl. II, 70. Varius Rufus incerta sede teste Philargyr. ad h. l.

Haec omnia sunt ni fallor Vergili nova; sunt singula in vv. 300 (43 in vv. 12912), dubia si numeras, in vv. 269. Verum statuendus est progressus hic: Vergilius parcissimus est in eclogis (1 : 828), cautus etiam in Georgicon libris (1 : 364), audax in Aeneide (1 : 274). Unde hoc saltem videre licet, epici imprimis stili sonantia esse composita; quod eo certius, si omnino Vergilium audacem in verbis confingendis esse in Bucolicis et Georgicis, in Aeneide autem

---

1) Nisi eis de causis quas supra pg. 9 sq. tetigi hoc compositum Vergilio novatori abiudicandum esse censes.

pedem iam rettulisse credimus statuenti Ladevico pg. 7, qui tamen haud semel corrigendus est. Ceterum facile observabis numina potissimum heroasque digna videri ponderosis illis epithetis.

De formatione ad ea quae passim notavi nunc pauca habeo quae addam. Atque ex eis quae novasse putandus est Vergilius, in verbum exeunt 24, in substantivum aut adiectivum 6, a numerali incipiunt 18; haec enim utique seponenda sunt; porro huc referenda sunt volgata 39 et 8 et 16; unde adparet exeuntia in verbum alteram fere facere partem omnium, tertiam a numerali ducta. Quo vel magis in verbum desinentia amavit Ovidius, cuius ut hoc statim addam sunt numeri 122 (volg. 55 nov. 67), 16 (10 et 5), 55 (29 et 26).

Tenendum vero est sicuti epici imprimis stili sonora sunt epitheta, ita quo levius est carmen eo magis destitutum esse illorum ornatu. Atque ad ceteros ut pergamus, Culicis auctor novavit nullum, nullum fortasse is qui scripsit Cirim, id quod difficile est iudicatu; namque versus 477 qui traditur in Vat. Bas. Ald. a. 1534 „Aeginamque simul sementiferamque Seriphum“ [1]) vereor ne insanabili laboret mendo. Epitheton falsum esse vidit Scaligerus ex Strabon. l. IX pg. 487 *οὕτω δ'ἐστὶ πετρώδης ἡ νῆσος* (sc. Seriphos) *ὥστε ὑπὸ τῆς Γοργόνος τοῦτο παθεῖν αὐτήν φασιν οἱ κωμῳδοῦντες.* Atque etsi insula saxosa esse potest eadem fecunda, hoc tamen de Seripho statui posse nusquam docemur. Quod vero legitur apud Ovidium M. VII, 464 „florentemque Syron Cythnum planamque Seriphon“ Ciris versui non modo non succurrit, sed quia apertissime repugnat verbis Strabonianis eisque quae narrant recentes [2]), suspectum est; et

1) In priore hemistichio reliqua ut sint dubia neque apte adhuc emendata certe tenendum est simul minime otiosum; quod insulam a Donysa, quae praecedit, nimis remotam fuisse enumeratam impedit quominus putemus.

2) cf. Ross Reisen auf den griech. Ins. pg. 135 sqq.

qui navi praetervehantur insulam eis planam hanc videri credere est desperantis. Et ut ab ipso Ovidio M. V, 242 et Iuvenale VI, 564. X, 170 ita hic scriptum erat parvamque Seriphon, quod miror neminem recepisse. Verum sementifer illud suspicari poterit aliquis tutari Cratini ex Seriphiis versum servatum ab Hephaestione pg. 51, 5 Westph. (Fragm. com. graec. ed. Meinek. II pg. 137) hunc *χαίρετε πάντες ὅσοι πολύβωτον ποντίαν Σέριφον*; at hoc ironice dictum esse iam adnotat Meinekius; namque scis Seriphii quanto opere omnibus fuerint ludibrio; vide interpp. ad Aristoph. Ach. 542. Plat. Remp. I, 329ᵉ.

Iam locum sanum non credes; sed facilius illud damnaveris quam poteris apte emendare; et speciosius coniectatum est quam verius Scaligeri serpentiferam quod nuperrime probavit Baehrensius. Licet enim fabula illa de Gorgone poetae fuerit in mente, ipsa insula serpentes gignere dici non potest; et Libyam Gorgonei capitis guttis cruentis exceptis angues procreasse tradunt Ovid. M. IV, 616 sqq. et Lucan. IX, 622 sqq. Sed cetera ut mittam conamina, verum indagaturis proficiscendum erit ab ea lectione quam metro obstante praebent Brux. Helmst. Rehdig. salutiferamque; vixque dubium est quin lateat compositum ab insulae natura petendum; ita enim ceterae designantur insulae. Sed temptanti mihi locum res non successit videantque doctiores.

Ceterum quo usque tali poetae in compositorum ornatu progredi liceat certis finibus circumscribere non liquet; et casui cave ne parum tribuas; nimis tamen ingeniosum nimisque Catulli aemulum Ciris auctorem fingit qui de hoc carmine post Ribbeckium bene meritus est Iac. Maehlyus. Sed videamus singula. Atque versum 72 cum scribi ille iuberet ann. Heidelberg. 1870 pg. 805 „salsipotens timidam sicca complexus arena", nesciit hoc aliunde non notum nisi iocose confingi posse, quod optime nuper docuit Ritschelius mus. rhen. XXXI. pg. 535 = opusc. III. pg. 151. In

scriptis vero quod est ipse pater fieri non potest quin hoc loco intellegatur de Neptuno; quae tamen verba ex recordatione loci Catulliani 64, 21, ubi de Iove illud dictum esse bene vidit Ellisius, fluxisse statuere vix licet cum Baehrensio in Fleckeis. ann. 1872 pg. 836. In versu autem 186 quod coniecit Maehlyus pg. 811 „furtimque arcifero detonsum mitteret hosti" compositum satis otiosum est parumque significanter dictum. Certe non erat cur haec adderet Maehlyus „da die Kreter besonders gute Bogenschützen waren, so wäre die Bildung furtimque arcifero d. m. h. sehr willkommen, wenn man sie unserem Dichter zutrauen könnte". Namque talia omnibus tunc temporis poetis praeplacere vidimus.

Sed ut tandem pergamus, de Tibullo haeret iudicium; in versibus enim I, 4, 43 sq. quos prave exhibent scripta „quamvis praetexens picea [1]) ferrugine caelum Venturam amiciat imbrifer arcus aquam", (ita Ambros., annutiat Guelf. Vat.) falsum esse arcus dudum animadversum est; et acquiescendum erit in Balbi Huschki Ritscheli [2]) optimo invento eurus; hic enim madidus est. Imbrifer vero neque metro aptum est et superfluit hoc loco [3]). Verum stabili quodam modo usu Lucano II, 459 Statioque Th. I, 193 et Silio X, 322 eurus dicitur nubifer [4]), sicuti haud pauca composita ab Augustea inde aetate fixa epitheta sunt facta, quam rem infra comprobabo exemplis. Illud nostro versui si reddideris et sensui apte consules et stabit metrum; propiusque hoc abest a litteris quam Italorum nimbifer.

---

1) picta codd., spissa Baehrensius; sed nescio cur displiceat Italorum picea; cf. Ovid. M. XV, 789 vultum ferrugine Lucifer atra sparsus erat.

2) cf. act. soc. sax. 1866 pg. 69 = opusc. III. pg. 631.

3) Qua de re mecum consentire nunc video C. M. Francken. in Mnemosyne huius anni pg. 184, qui secus iudicat de ceteris.

4) Componas etiam carminis de duodecim ventis (A. L. 484) versum 14 „nubifero flatu laevum latus irrigat Eurus".

Praeterea satis constat deamare Tibullum quod in hexametro plenius descripsit, epitheto complecti in pentametro. Melius vero quam admittat et vestigiis et sensui certe commodatum ad manum non est verbum; nam Baehrensius quod coniecit Tibull. Blätt. pg. 88 et nuperrime recepit in textum indicat nubifer ortus ut respuunt litterae ita satis est delumbe et fere prosarium.

Quae si probas, compositum nubifer confinxisse putandus est Tibullus; si minus, nihil invenit aeque ac Lygdamus auctorque panegyrici nec non Sulpicia.

Audacior est Propertius, cuius haec habes nova: anguifer II, 2, 8. gemmifer IV, 3, 2. lauriger IV, 12, 53. V, 6, 54. palmifer V, 5, 25. spumifer V, 7, 81. velifer IV, 8, 35. undisonus IV, 21, 18. octipes V, 1, 150. adde dubia odorifer III, 4, 7. turriger IV, 16, 35. longaevus V, 1, 52, de quibus adeas Vergilium. Sunt singula, incerta si numeras, in vv. 364 (11 in vv. 4008), si non in vv. 501; unde Vergili in Georgicis Propertium ferme adaequare audaciam elucet. Verum animadvertas progressum in libris quarto et quinto; et l. I omnino est vacuus (nisi forte de versu I, 15, 5 credis Kochio symb. phil. Bonn. pg. 321); l. II et III si dubia addis singula habent, l. IV quinque, l. V quattuor. Quod quamvis casui tribuendum libenter concesserim, tamen nescio an vel hac in re Aeneide lectitata profecerit Propertius. Quod si verum est incerta turriger et longaevus a Vergilio Propertium adsumpsisse consectarium est.

Pauca etiam dicenda sunt de Horatio; qui „ampullas et sesquipedalia verba“ exprobrans tragicis a. p. 95 sqq. ponderosa simul num reprehenderit composita incertum est; certum est ipsum cum parcissime sibi indulsisse talem ornatum tum in satiris nulla fere admisisse nisi a numerali ducta pedestria. Atque mirum est ceteris gratissima in fer et ger desinentia quanto opere evitaverit Horatius; quale nullum invenis nisi quod ipse videtur confinxisse pomifer

c. III, 23, 8. IV, 7, 11. Iam cetera accipe haec[1]): sortilegus a. p. 219. *tauriformis c. IV, 14, 25. bimaris c. I, 7, 2. *centiceps c. II, 13, 34. centimanus c. II, 17, 14. III, 4, 69. semesus sat. I, 3, 81. triformis c. I, 27, 23. III, 22, 4. trilibris sat. II, 2, 33; biformis c. II, 20, 2. Vergiliusne an Horatius composuerit difficile est dictu. Est novum carminum in vv. 509, satir. in vv. 1055; sed animadvertas pleraque esse a numerali ducta.

Temporis ordo ad Ovidium nos deducit; atque statim accipe quibus hic ditavit linguam. Praemitto haec: *aerifer F. III, 740. *alifer F. IV, 562. armifer A. II, 6, 35 saepe. bacifer A. II, 16, 8. *bipennifer M. IV, 22. VIII, 617. Tr. V, 3, 39. *caducifer M. II, 708. VIII, 627. F. IV, 605. V, 449. *chimaerifer M. VI, 339. colubrifer M. V, 241. *corymbifer F. I, 393. *cupressifer F. V, 87. *granifer A. A. I, 94. M. VII, 638. *harundifer F. V, 637. *herbifer M. XIV, 9. F. IV, 468. laborifer M. IX, 285. XV, 129. *lentiscifer M. XV, 713. mellifer M. XV, 383. nimbifer P. IV, 8, 60. nubifer M. II, 226. opifer M. I, 521. XV, 653. *papyrifer M. XV, 753. Tr. III, 10, 27. *populifer A. II, 17, 32. M. I, 579. *racemifer M. III, 666. XV, 413. F. VI, 483. *sacrifer F. IV, 252. salutifer M. II, 642. XV, 632. 744. sceptrifer F. IV, 480. *securifer M. XII, 460. *taedifer H. II, 42. F. III, 786. tridentifer M. VIII, 596. *turrifer F. IV, 219. venenifer M. III, 85. — belliger A. A. II, 672. Tr. III, 11, 13. claviger (clava et gero) M. VII, 437. XV, 22. 284. Ib. 251. F. I, 544. IV, 68. (clavis et gero) F. I, 228. ensiger A. A. II, 56. F. IV, 388. liniger A. II. 2, 25. A. A. 1, 77. M. I, 747. P. I, 1, 51. *penatiger M. XV, 450. piniger F. III, 84. securiger H. IV, 117. *tridentiger M. XI, 202.

Sequantur haec: pacificus F. IV, 408. portentificus M. XIV, 55. saxificus M. V, 217. *anguigena M. III, 531. aurigena M. V, 250. Apenninigena M. XV, 432. draconigena

1) Rothmalerus et Ladevic. falsi sunt de nonnullis; de singularibus adeas Zangemeisteri libellum pg. 24 sq.

F. III, 865. Faunigena M. XIV, 449. *ignigena M. IV, 12. *Ianigena M. XIV, 381. *Iunonigena M. IV, 173. Latonigena M. VI, 160. Martigena A. III, 4, 39. F. I, 199. *rurigena M. VII, 764. serpentigena M. VII, 212. amnicola M. X, 96. *Iunonicola F. VI, 49. *Lemnicola M. II, 757. *Marticola Tr. V, 3, 22. P. IV, 14, 14. *monticola M. I, 193. ruricola A. III, 2, 53. M. V, 479. VI, 392. XI, 90. F. I, 384. 580. II, 628. Tr. IV, 6, 1. P. I, 8, 54. *florilegus M. XV, 366. *frugilegus M. VII, 624. *turilegus F. IV, 569. *faticanus sive mavis faticinus M. IX, 418. XV, 436. gemellipara M. VI, 315. F. V, 542. *luctisonus M. I, 732. magnilocus M. VIII, 396.

In substantivum exeunt aenipes H. VI, 32. anguipes M. I, 184. *flexipes M. X, 99. ignipes M. II, 392. *serpentipes Tr. IV, 7, 17. anguicomus M. IV, 699.

Restant bifidus M. XIV, 303. bifurcus M. XII, 442. bilustris A. II, 12, 9. bimater M. IV, 12. binominis M. XIV, 609. Ib. 415. P. I, 8, 11. multicavus M. VIII, 562. multifidus M. VII, 259. VIII, 644. multiforus M. XII, 158. *semadapertus A. I, 6, 4. semibos A. A. II, 24. Tr. IV, 7, 18. semicaper M. XIV, 515. F. IV, 752. V, 101. semicrematus Ib. 532. *semicremus M. XII, 287. semideus H. IV, 49. M. I, 192. Ib. 82. *semilacer M. VII, 344. *semireductus A. A. II, 614. *semirefectus H. VII, 176. *semisepultus Ib. I, 55. semisupinus A. I, 14, 20. H. X, 10. A. A. III, 788. *septemfluus M. I, 422. XV, 753. sexangulus M. XV, 382. *tricuspis M. I, 330. trifidus M. II, 325. trinodis H. IV, 115. F. I, 575.

Haec Ovidius putandus est novasse. Et cum singula admittat in vv. 322 (97 in vv. 31263), Vergilio paullo est segnior, quod non miraberis; etenim prae ceteris novissime conficta in copiosum convocavit usum; estque ubi aperta agnoscatur imitatio. Ita sua fecit Ovidius Vergili caelifer (Atlans Aen. VII, 766. Ov. F. V, 83) fatifer (ensis Aen. VIII, 621. Ov. A. III, 3, 27. M. XII, 492) legifer imbrifer

olivifer pacifer pinifer somnifer soporifer (papaver Aen. IV, 486. Ov. F. IV, 531) turifer; adde aeripes navifragus nubigena, denique biforis biiugis semesus semihomo seminecis semustus et dubia odorifer longaevus biformis. Praeterea ab Horatio adsumpsisse videtur Ovidius pomifer bicornis bimaris (Corinthus c. I, 7, 12. Ov. M. V, 407. F. IV, 51) bimenstris centimanus (Gyas c. II, 17, 14. III, 4, 69. Ov. A. II, 1, 12. Tr. IV, 7, 18) triformis, a Propertio anguifer lauriger palmifer velifer (carina IV, 8, 35. Ov. M. XV, 719. P. III, 2, 67) octipes (cancer V, 1, 150. Ov. F. I, 312). Eidem magis quam Vergilio debetur turriger Cybeles epitheton Prop. IV, 16, 35. Ov. F. IV, 224. VI, 321.

De singulis vero carminibus haec monenda sunt: Ovidius cum Amorum (1 in vv. 271) et artis amatoriae libros (1 in vv. 466) nec non de remediis componeret carmen, fuit cautior; tum in Transformationibus novum admisit in vv. 206, deinde in Fastis (1 : 382) et magis in Tristibus (1 : 1766) nec non in Ponticis epistulis (1 : 1529), minus in Ibide (1 : 642) pedem rettulit. Quo modo etiam in Ovidio comprobatur epicum maxime sonoris delectari epithetis; et attendas Vergilio in Aeneide sollertiorem esse Nasonem in Transmutationibus. Porro senex agnoscitur adulescente remissior; Fasti vero epici propius accedunt ad Metamorphoseon frequentiam, et nescio an vel hac de causa his sint aequaevi. Ceterum facile conspicitur in transformationibus inconstantia; audacissimus Ovidius in l. XV (1 : 109), minus in l. XIV (1 : 121) et l. VII (1 : 144); vacuus est l. XIII, ceteri fluctuant. Iam igitur sicuti excoluit artem Ovidius, ita in libris quibus absolvit transformationes — et vide omnino compositum extare l. XIV in vv. 34, l. XV in vv. 35 — ornatum effudit, ad Tristia ante quam descenderet et Pontica.

Restant Heroidum epistulae; atque memorabile est octo quas sibi poscit Ovid. A. II, 18, 21 sqq. cum novum exhibeant in vv. 176½ (ep. IV in vv. 58) et iuvenalia superare carmina et transmutationes. Ceteras in indicibus

abieci epistulas; qua re quod invenitur nubifer H. III, 58 et M. II, 226, novum adnumeravi metamorphosesin, cupressifer vero H. IX, 87 et F. V, 87 Fastis. In epist. XIII v. 33 novatum bicorniger neque Ovidio notum est neque alii. Hinc igitur si placet corrigas indices. — Observare autem iucundum est etiam hoc: epistula XIV et quae secuntur compositorum ornatu ita sunt destitutae nulla ut invenias nisi tritissima naufragus XVII, 129 et 198 laniger XVII, 144 lucifer XIX, 192; vacuae igitur prorsus epp. XIV, XV, XVI, XVII nec non Sapphus. Quam humilitatem ne novissimi quidem redolent libri; at scis Hypermestram Ovidi esse nuper iudicasse Th. Birtium mus. rhen. XXXII pg. 429. — Contra gravis compositorum cumulatio ep. IX, 141 „semivir occubuit in letifero[1]) Eueno Nessus" est Ovidiana; ita enim Ovidius in quinto decimo transformationum v. 753.

perque papyriferi septemflua flumina Nili

et ludens A. A. II, 24

semibovemque virum semivirumque bovem

cui similis F. I, 384

lanigerumque pecus ruricolaeque boves

denique nimis ponderose Tr. IV. 7, 15 sqq.

quadrupedesque homines cum pectore pectora iunctos
tergeminumque virum tergeminumque canem
Sphingaque et Harpyias serpentipedesque Gigantas
centimanumque Gyen semibovemque virum.

Quam ponderosam gravitatem adfectavit neque Vergilius neque alius illius aetatis. Sed multum abest ut levia haec premam in re difficiliore quam fructuosiore[2]).

---

1) De hac enim lectione vix dubitaveris; Madvici adv. II, 75 lentifero vel ideo improbabile est quod Eueni fluctus rapidi et torrentes (cf. ex. gr. Ov. M. IX, 104. Ib. 511) ferre vix poterant lentes palustres; ceterum vide etiam quae monuit M. Hertzius in Fleckeis. ann. 1874 pg. 254.

2) De Gratio et Manilio ad ea quae dixi supra pg. 6 non habeo quae addam.

Iam pergamus; atque id maxime videndum est, ab Augustea inde aetate vix alia poetis grata fuisse composita nisi Vergili Ovidique exemplis firma num iure iudicarit Luc. Muellerus de re metr. pg. 383; quem de primi saeculi epicis cogitasse vix est quod submoneam. Sed prius quod supra de Tibulli versu I, 4, 44 disserens significavi haud pauca adiectiva composita ab Augusteae inde aetatis poetis fixa quodam modo facta esse epitheta, hoc loco liceat persequi, non eo tamen consilio optimos posteriorum quemque meditato studio expressisse ut velim tibi persuadere. Componam igitur speciminis instar haec: anguicoma Gorgo Ov. M. IV, 699. Stat. Th. I, 545. VI, 495. XII, 647. Dracont c. 10, 439. armisona Pallas Verg. A. III, 544. Stat. Th. I, 535. Val. Fl. I, 74. Sil. XIII, 42. Ap. Sidon. c. 6, 1. Dracont. c. 6, 13. aurifer Tagus (Catull. 29, 19) Ov. A. I, 15, 34. Sil. XVI, 450. Martial. X, 96, 3. XII, 3, 3. biferum Paestum Verg. G. IV, 119. Martial. XII, 31, 3. bifrons Ianus Verg. A. VII, 180. XII, 198. Prud. c. Symm. I, 233. perist. II, 449. Auson. id. 9, 5. ecl. 150. Ap. Sidon. c. 23, 307. A. L. 4, 93. bimaris Corinthus Hor. c. I, 7, 2. Ov. M. V, 407. F. IV, 51 (M. VI, 419. VII, 403. H. XII, 27) Prud. c. Symm. II, 352. Arator. act. ap. II, 507. Ap. Sidon. c. 2, 476. binominis Hister Ov. P. I, 8, 11. Sil. I, 326. Stat. s. V, 1, 89. caelifer Atlans Verg. A. VII, 766. Ov. F. V, 13. Sil. XV, 142. Stat. Th. V, 430. s. I, 1, 60. corniger Hammon Ov. A. A. III, 789. M. V, 17. XV, 309. Lucan. III, 292. Val. Fl. II, 482. Sil. III, 10. XIV, 572. Claudian. IV. cons. Hon. 143. Coripp. Ioh. II, 110. V, 147. 556. VII, 252. 304. ensiger Orion Ov. A. A. II, 56. F. IV, 388. Lucan. I, 665. letifer arcus Verg. A. X, 169. Lucan. III, 500. Val. Fl. IV, 525. Stat. Th. IX, 405. octipes cancer Prop. V, 1, 150. Ov. F. I, 312. Auson. ecl. 94. saxifica Medusa Ov. Ib. 551. Lucan. IX, 670. Sil. X, 178. Mart. Cap. VI, 572. Dracont. c. 4, 44. A. L. 867, 2. semivir Phryx Verg. A. XII, 99. Stat. Ach. II, 364. Martial. IX, 20, 8. septemgeminus Nilus

(Catull. 11, 7) Verg. A. VI, 800. Stat. s. III, 5, 21. turicrema ara (Lucr. II, 353) Verg. A. IV, 453. Ov. A. A. III, 393. Avien. descr. orb. 604. Ap. Sidon. c. 2, 88. 9, 207. turrigera Cybele Prop. IV, 16, 35. Ov. F. IV, 224. VI, 321. Stat. Ach. II, 347. Claudian. R. P. I, 172.

Haec quae facili opera possum duplicare sufficient ad id quod volui demonstrandum. Ceterum in bina quasi castra ita discessisse poetas, ut quidam a Vergilio magis, ab Ovidio alii adpeterent compositorum ornatum, qui non inepte suspicaretur, ei haud ita magno cum fructu vidi rem esse successuram. Sed accingar ad rem propositam enarrandam. Itaque novavit Lucanus astrifer IX, 5 [1]). ensifer I, 665. laurifer V, 332. VIII, 25. *sortifer IX, 512. *taurifer I, 473. *cirriger I, 463. flammiger I, 48. 413 [2]). *arenivagus IX, 941. *fatilegus IX, 821. semirutus I, 24. IV, 585.

Valerius Flaccus *saxifer V, 608. lustrificus III, 448. monstrificus VI, 153. amnigena V, 584. *soligena V, 223. 317 [3]). *aegisonus III, 88. aerisonus I, 704. III, 28. *arcipotens V, 17.

Silius *austrifer XII, 2. criniger XIV, 585. *pharetriger XIV, 286. mitificus XII, 474, *Anienicola IV, 225. XII, 751. *Baeticola I, 146. *Gradivicola IV, 222. *Neptunicola XIV, 443. *viticola VII, 193. *Baetigena IX, 234. *nubivagus XII, 102. undivagus XIV, 572. *tridentipotens XV, 159. *semambustus II, 681. XIV, 63.

Statius olorifer Th. IV, 227. *peltifer Th. XII, 761. vaporifer silv. I, 3, 45. III, 5, 96. Th. VI, 716. votifer silv. IV, 4, 92. astriger Th. X, 828. *freniger silv. V, 1, 98.

---

1) Idem Libyae epitheton in lemmate exhibent commenta ad v. I, 206, ubi libri recte aestiferae; nihil certe est nisi error resque satis nota; cf. ex. gr. Ovid. M. II, 237. Sil. I. 657.

2) In versu enim Varron. sat. 117, 12 R. hoc debetur Riesi coniecturae admodum incertae.

3) Est Valeri proprium, nisi forte de versu Dracont. 10, 104 facis cum Baehrensio in Fleckeis. ann. 1873 pg. 270,

fluctivagus silv. II, 1, 95. III, 1, 84. Th. I, 271. IX, 305. 360. bivertex Th. I, 628. semicrudus[1]) silv. IV, 9, 48.

Accedunt quae quis confinxerit haud ita facile potest definiri: metallifer Sil. XV, 498. Stat. silv. IV, 4, 23. uvifer Sil. VII, 207. 263. Stat. silv. IV, 3, 64. vitifer Sil. III, 370. X, 34. XV, 568. Stat. silv. IV, 2, 36. Martial. XIII, 107, 1. multisonus Stat. silv. III, 2, 103. Th. VIII, 25. Martial VII, 53, 9.

Unde hos adipiscimur calculos: est novum Lucani in vv. 806 (10 in 8060), Valeri in 699 (8 in 5593), Sili in 718 (17 in 12207), Stati in 1133 (13 in 14741)[2]); ubi dubia me numerasse velim sis memor. Hinc igitur constat cum triplo minime steriliorem esse unumquemque Vergilio et Ovidio, tum Lucano sollertiores paullo Valerium Silium, Statium multo remissiorem. — De formatione vide quae monui pg. 6 sq. Facile autem observabis in eorum numero quae exeunt in fer et ger nonnulla ita orta esse ut volgati pars posterior quae ducta erat a verbo ferre sensu prorsus eodem mutaretur in ger vel invicem. Illuc enim referas Lucani flammiger Stati astriger[3]), huc Lucani ensifer laurifer et ut statim haec addam Senecae squamifer stellifer.

Desiderabis Senecam quem melius visum est epicis examinatis perlustrare. Est enim haud una in re diversus

---

1) Quod in versibus his „quid si cum bene mane semicrudus Inlatam tibi dixero salutem. Et tu me vicibus domi salutas?“ non sollicitarim cum Baehrensio qui scribi mavolt seminudus. Rectius hic haesisset in versu sequente, ubi quid sit inlata salus me non intellegere ingenue fateor.

2) Silvarum enim carmina leviora hac in re seiungenda non erant.

3) Accedit Homeri lat. sceptriger v. 8; aliud hic nihil novavit per vv. 1074; namque versus 736, in quo extat novum ventigena, ut spurius dudum damnatus est. Et potest ipsum illud singulare, quod aegre condonaverim poetae tam humili, indicium esse interpolationis.

ab aequalibus, quod eo factum est quod ceteris magis Vergili Ovidique despexit auctoritatem. Atque vix casui tribues quod horum aetate oblitterata plurima tragicorum denuo divolgavit Seneca ut puta florifer Oed. 662. frondifer Oed. 280. rorifer Phaed. 12. thyrsiger Phaed. 761. Med. 110. laetificus Tro. 603. tabificus Oed. 79. altisonus Phaed. 1143. Ag. 603. blandilocus Ag. 290. montivagus Phaed. 792. H. O. 137. veridicus Ag. 256. Namque rarissime longe arcessivere ornatum epici nullaque huc faciunt nisi Sili Plautinum vanilocus VIII, 17. XIV, 218 Valeri Ciceronianum auriger VIII, 110 et Lucretianum omnituens V, 247. Porro ceteris magis amavit Seneca in ficus desinentia; qualia cum volgavit laetificus luctificus magnificus maleficus sacrificus saxificus tabificus terrificus volnificus, tum confinxit nova castificus Phaed. 714. *incestificus Oed. fr. 223. *letificus Med., 580 (ita novissimi editores). *nidificus Med. 717. *superbificus H. F. 58. Qua in re tragicorum vestigia pressisse Annaeum rectissime iam praedicavit Muellerus l. l. pg. 383. Restant nova haec: luctifer H. F. 691. Med. 850. monstrifer Phaed. 696, quod sine dubio usurpavit ante Lucanum V, 620, *montifer H. O. 1216. *solifer H. O. 159. squamifer Med. 688. stellifer Phaed. 793. fluctisonus H. O. 840. multivagus H. F. 537. Est igitur cum novum admittat in vv. 831 (13 in vv. 10804) Lucano Valerio Silio sterilior paullo Seneca, audacior Statio. — Miraberis Herculem Oetaeum [1]) qui volgo dicitur me non abiecisse vel discerpsisse post ea quae de hac tragoedia luculentissime disputavit Frid. Leo de Sen. trag. obs. crit. pg. 48 sqq. Et possunt accedere indicia etiam haec quamvis levia: prius quod nullum

1) Ovidium studiose lectitatum esse ab Annaeo satis iam constat; neque illius in Agamemnone desunt vestigia. Commune est illis aliunde non notum Latonigena M. VI. 160. Ag. 326; deinde uterque facem dicit semustam F. IV, 167. Ag. 798; casu vero consonare vix fingi potest Ag. 358 multifora tibia buxo sollemne canit et Ovid. M. XII, 158 longave multifori delectat tibia buxi.

iteravit Herculis auctor vetustum; alterum quod prorsus evitat in ficus exeuntia Senecae tum prae ceteris grata. Denique huius formationis quae adsunt in ceteris tragoediis nova si desumpseris, his Herculem audacia antecedere videbis; quod tamen satis habeo memorasse [1]).

Addam sterilem esse Germanicum in Arateis Calpurnium scriptorem Aetnae auctorem panegyrici in Pisonem; elegiae in Maecenatem priori quod restituit Salmasius *omniperitus v. 110 video omnes probare. In Petroni vero versu c. 133, 4 qui traditur in scriptis plerisque „quem Lydus adorat Septifluus templisque e. q. s. res est incertissima [2]). Confinxit Columella *nubifugus X, 288, Phaedrus *alticinctus II, 5, 11.

Supersunt Iuvenalis et Martialis pedestres; et placuit illi novare *segnipes 8, 67, huic *cistifer V, 17, 4. honorificus X, 45, 2. *Rhenigena IX, 35, 4, quod debetur Schneidewino, *semifultus V, 14, 9. *semitactus VI, 74, 2. *trifilis VI, 74, 2; vitifer autem et multisonus Martialis num invenerit dignosci non posse supra vidimus. Sunt singula in vv. 1586 (6 in vv. ferme 9519), dubia si addis in vv. 1189. Sed attendas pleraque esse a numerali ducta prosaria.

Iam quoniam saecula sequiora nihil tulerunt in usum nostrum [3]), saeculi quarti emergunt poetae. Agmen ducit Optatianus Porfyrius confingens (ed. L. Mueller 1877): medellifer 24, 12. gratificus 1, 6. *versificus 19, 7. *Constantinigena 4, 3. *Musigenus 6, 4. *Treusicola 22, 21. dulcisonus 27, 4.

Sequitur Iuvencus, qui in carmine quo explicavit evangelia delectatus est novis his: santificus I, 33. vivificus IV,

1) Octaviae auctor ita sprevit compositorum ornatum, nulla ut placerent nisi detritum grandaevus v. 14 et prosarium maxime manifestus v. 553.

2) Huius quod fertur carmen A. L. 703 exhibet *floricolor v. 1 vix huius aetatis inductum colore.

3) De titulo C. I. L. II, 2660 vide supra pg. 8.

798. lucifluus III, 293. IV, 119. multifluus I, 618. flammivomus I, 31. *flammicomans IV, 201. *glaucicomans III, 623. — altithronus I, 32. II, 62. III, 409. *flammipes II, 548. *auricolor I, 392. *ignicolorus IV, 155. 560.

Satis audax etiam Avienus: *serenifer descr. orb. terr. 637. Phaen. 989. Prog. 413. *dumicola descr. 895. fluctigenus Phaen. 1158. *monstrigena descr. 789. mellifluus descr. 468. *paludivagus descr. 312. *cauricrepus descr. 869. *flammicomus descr. 1089. floricomus[1]) Phaen. 1000. Prog. 437. *mollicomus descr. 1082. viticomus Phaen. 70. *ignicomans Phaen. 88. *luciparens Phaen. 854. *latipes Phaen. 358. *pinifertus or. mar. 556, modo absit mendum; sed vide infra.

Neque minus Ausonius: *falciger ecl. 283. fetifer ecl. 140. *flagrifer ep. 14, 10. *fletifer id. 6, 74. salutiger id. 8, 26. ecl. 119. *tricorniger techn. 141. *modificus parent. 27, 2. *pultificus techn. 61. *Delphicola techn. 73. *limicola ep. 7, 36. *aquilonigena mos. 407. caeligena ecl. 283. *limigena[2]) mos. 45. Saturnigena id. 15, 22. *floriparus techn. 95. oviparus mos. 133. *fatilocus prof. Burd. 6, 51. *vestifluus techn. 92. *fissipes ep. 5, 3. 7, 49. *lentipes ep. 21, 40. *remipes mos. 201. ep. 3, 13. 5, 34[3]). volucripes ep. 16, 104. 21, 14. *atricolor ep. 7, 52. *iricolor ep. 3, 15. *lacticolor ep. 7, 54. *aequimanus techn. 102. *auricomans id. 6, 11. *mellifluens ep. 16, 14. quadriangulus epigr. 128, 3. *quinquegenus techn. 66. trifissilis epigr. 128, 7.

Segnior paullo est Prudentius: *aristifer cath. 3, 52. *columnifer perist. 3, 52. *crucifer cath. 3, 1. plumiger cath. 3, 44. spinifer cath. 5, 31. apoth. 59. volnifer psych. 173. christicola[4]) cath. 8, 80 saepe. *Nilicola psych. 655. *nocti-

1) Quod tamen fortasse novavit Ausonius ep. 4, 49.

2) Ita Bipont. et Boecking.

3) Videtur hoc adhibuisse Varro sat. 489 B.

4) Nisi hoc prius formaverat is qui anno 394 vel 395 (cf. Mommsen. Herm. IV pg. 363) scripsit carmen A. L. 4. cf. v. 78; nova-

cola ham. 634. *paradisicola ham. 928. plebicola c. Symm. I, 561. sacricola psych. 584. c. Symm. I, 617. *Tibricola perist. 11, 174. *christigena ham. 187. *omnigenus c. Symm. I, 13. *saxigenus cath. 5, 8. *verbigena cath. 3, 2. *aurifluus c. Symm. II, 605. *quadrifluus cath. 3, 105. *tabifluus apoth. 891. *flavicomus apoth. 495. frondicomus [1]) cath. 3, 102. *urbicremus ham. 727. sanctilocus apoth. 1001. cunctiparens ham. 931. perist. 14, 128. *omnipollens apoth. 2. praef. 19. *dulcimodus psych. 664. multimodus cath. 3, 64. *caniformis apoth. 195. *milleformis cath. 9, 55. multiformis cath. 6, 37. multicolorus .cath. 3, 104. unicolorus ham. 819. versicolorus c. Symm. II, 56. *omnipater perist. 3, 70. *christipotens c. Symm. II, 170. *cunctipotens perist. 7, 56. *bifestus perist. 12, 66. *centifidus c. Symm. II, 890. *semicombustus perist. 10, 859. semustulatus perist. 2, 348. *septicollis perist. 10, 413. *tripictus apoth. 381.

Superest Paulinus Nolanus: *escifer 15, 223. fructifer 21, 311. *morbifer 28, 243. *sanifer 23, 224. *contiger 23, 188. *fasciger 21, 374. *saxicola 19, 168. bellisonus 26, 420. *hymnisonus 21, 283. 25, 199. *caelifluus 21, 833. *iugifluus 35, 437. *vermifluus 25, 134. *multicomus 19, 418. *omnimedens 19, 46. 30, 18. *altiiugus 21, 713. *multiiugus 26, 24. *quadriremis [2]) 24, 72. *semiperactus 23, 305.

Iam vero de audacia ut fias certior, hos vide calculos: Porfyrius singula sibi indulsit nova in vv. 140 (6 in vv. 844), Iuvencus in 297 (11 in 3271), Avienus in 264 (15 in 3974), Ausonius in vv. fere 186 (31 in vv. ferme 5790), Pru-

---

vit hic certe *sistrifer v. 99; *sistriger est in carmine Africano edito ab Ottone Iahnio in act. soc. saxon. 1850. II. pg. 191 sqq. (cf. v. 83), quod exhibet etiam *florisapus v. 89.

1) Quod fortasse debetur Symposio aenig. 60, 2.

2) Asteriscum miraberis, quia prosae hoc vocabulum non est insolitum. Verum ut mihi constarem et huic et aliis adposui asteriscum; neque enim prosae orationis scriptores omnes pertractare vacabat.

dentius in 253 (43 in 10890), Paulinus in 794 (18 in 8892). Hic igitur parcior est Vergilio Ovidioque, quos aequat fere Avienus, ceteri superant; Prudentio vero sollertior Porfyrius, magis Ausonius.

Sed differentia vel gravior nobis adparebit genus compositorum respicientibus. Atque primum notabile est hac demum aetate haud pauca Vergilio vetustiora renasci composita; quo referas Iuvenci Lucretiana frugiferens II, 551. largifluus I, 137 Avieni Varronianum undicola Phaen. 809. Lucretianum frugiparus Phaen. 1054. Ausoni Lucretianum altivolans techn. 80. Laevianum nocticolor techn. 54. Prudenti Plautina caelipotens apoth. 660. falsilocus apoth. 107. Lucilianum omnicolor perist. 12, 39. Ciceronianum spiniger perist. 11, 170. Quae tamen derecta via huc transfluxisse nolo tibi persuadere; verisimilius est grammaticorum ab Hadriani inde aetate studia suppeditasse illa poetis; sed in re parum explorata ariolari non libet. Porro qualia a Catullo inde et Vergilio ad Hadriani fere aetatem omnibus improbantur pleniora, nunc denuo sunt grata. Et vetustis quae repetita modo attulimus nova accedunt vel plura ut Iuvenci flammicomans glaucicomans Avieni ignicomans luciparens Ausoni auricomans mellifluens Prudenti flavicomans. Quibus tamen hac in re antecessisse vidimus (cf. supra pg. 8) Hadriani fere aevi poetam, obtemperaverunt et alii et Venantius; de quibus vide infra. Porro quae inde a Vergilio maxime fuere grata in fer et ger desinentia mirum quantum iam venerunt in despectum; vide sis huiusmodi novum Porfyri et Iuvenci esse nullum, Avieni unum inter 15, Ausoni 6 inter 31, Prudenti et Paulini totidem inter 43 et 18. Unus igitur Paulinus etiam hac in re conspirat cum optimis; idem vetustum ipse iteravit nullum, etsi modo repetita accepit. At vero Paulinum primum reconfinxisse vidimus supra pg. 6 sanifer cuius pars prior est adiectivum. Ceterum varietatem non morabimur, quae maxime cernitur in eis quae exeunt in verbum; ex quibus quae sunt Iuvenci

flammivomus Avieni cauricrepus Paulini omnimedens omnino carent prioris poetae exemplo; haec enim verba alius non subiunxit nomini.

Iam vero adparet vetustissimorum magis quam Vergili Ovidique placitis huius aetatis obsecutos esse plerosque; hinc nescio an lucri aliquid redundet ad emendandum Avieni versum or. mar. 556, qui nimis vexabatur ante Wernsdorfium eique leni succurri possit correctura hac „qua pinifeto stat Pyrene vertice“. Quamvis metrica necessitate hoc provectum libenter concedo, tamen et hic Avieno Varronem usui fuisse non prorsus improbabile est; huic enim sat. 146, 9 R. 204 B. recte dudum restitutum est propter ipsam formationem memorabile ardifetus. Utroque loco insolite coalitum turbavit librarios, unde subrepsere familiaria vocabula ut puta pinifer et ardifer; apud Avienum vero quod adhuc legitur pinifertus tale nusquam vidi; neque contra facit quod fertus simplex in usu est Avieno descr.1205.

Post haec inspiciamus Claudianum, qui nova sibi indulsit haec: bellifer in Eutrop. I, 129. *electrifer fesc. 2, 14. terrisonus cons. Stil. I, 109. *multisonorus epigr. 1, 18; fortasse ignifluus III. cons. Honor. 196, quod aliis non notum usurpavit aequaevus fere auctor[1]) carminis de laudibus Herculis A. L. 881, 127 et 137. De versu autem rapt. Pros. II, 366 non facio cum Heinsio et Ieepio, qui quae exhibent codices excepto Gudiano „nostra potens Iuno“ copulanda esse arbitrati sunt, ut evaderet Iunonis epitheton nostripotens. Quale non Prudentio aliive nedum Claudiano condonandum est et vetant linguae leges nimis angustae; etenim qui pronomen admiserit in compositione non vidi. Quare nisi gravius volnus latere suspiceris praeferendum est cum Gesnero Gudianus quod praebet liber „nostra parens Iuno“. Est igitur novum si adnumeras dubium in vv. fere 1890 (5 in vv. ferme 9450); alienus vero etiam hac in re

1) Hic certe novavit *flavicomus v. 97.

ab aequalibus est Claudianus quod ne unum quidem repetiit Vergilio vetustius.

Obtinuit vero apud plerosque audacia et varietas. Iam sequatur quinti potius quam prioris saeculi poeta Martianus Capella, cui in versibus quos satirae in modum inseruit libris placuerunt nova: *coruscifer VIII, 808. *astrificus II, 98. VI, 584. *blandificus IX, 888. *doctificus VI, 567. *sensificus II, 185. *somnificus VI, 424. *vernificus I, 1. fluctigena I, 22. IX, 915. *spumigena IX, 915. *astrisonus IX, 911. omnisonus IX, 912. *docticanus II, 122. *vernicomus VI, 570. *astrilocus VIII, 808. *plaustrilucus IX, 912. *noctividus VI, 571. *dulcinervis IX, 917. *lauripotens I, 24. *quadrimembris VIII, 805. Est novum in vv. $43^2/_3$ (19 in vv. 829); quod eo gravius esse vides, breviuscula metra magnam ad partem Martiano grata fuisse si memineris. Hic igitur audaciae poscit palmam, quam ut arriperet intendit nullus. Ceterum nota Martiano quam cuiquam magis placere in ficus exeuntia.

Atque Apollinaris Sidonius prae ceteris studiose lectitasse videtur Ovidium; hunc enim opinor secutus Iovem dicit tridentiferum c. 12, 158; ab eodem Sidonium consentaneum est accepisse a communi usu remota draconigena c. 2, 80 et multicavus c. 22, 222. Sed accipe ipse quae in carminibus haud invenuste excogitavit haec[1]): *cyparissifer 23, 418. *pennifer 2, 309. *soccifer 9, 210. *tigrifer 2, 443. *fescenninicola 12, 2. flucticola 10, 1. doctisonus 15, 180. *rhonchisonus 3, 8. *flammigena 13, 9. *crinisatus 22, 81. *ostricolor 5, 18. *senipes 12, 10. 23, 131. *semisoporus 11, 60. *septipes 12, 11. ep. 8, 9. Sunt singula in vv. 255 (14 in vv. 3579). Accedunt vero ex versibus quae intermiscuit epistulis *blattifer IX, 6. *pistriger IV, 8. *serpylifer VIII, 11. *plectripotens IX, 13; paludicola IV, 1. VII, 17 commune habet cum auctore tetrastichi de mensibus A. L. 395, 6.

1) Henr. Kretschmannum, qui scripsit de latinit. Ap. Sid. in progr. Memel. 1872 edit. pg. 9 et 12, quaedam fugerunt, fefellerunt alia.

Sequitur Dracontius: amorifer c. 6, 110. 7, 15. 58. 10, 85. 276. *plectrifer c. 10, 285. somniger d. d. I, 212 triumphiger sat. 22. blandifluus c. 8, 13. dulcifluus d. d. I, 164. *mollifluus 7, 11. *undifluus d. d. I, 607. *vesticola c. 7, 22. *doctiloquax sat. 61. *cornipedus c. 7, 81. *flammipotens d. d. III, 386. c. 6, 5. Admisit novum in vv. 409 (12 in vv. 4914)[1]; unde modeste non tamen qui suae aetatis spreverit consuetudinem gessisse se Dracontium sponte adparet.

Insero huic loco huius certe aetatis Orestem tragoediam, quam Draconti esse Maio praeeunte (cf. app. pg. 1 et 10) multi sumunt[2]), certis argumentis firmavit ne Peiperus quidem. Verum etiam nos non latebit cognatio quaedam inter utrumque. Atque perquam notabile est cum Dracontio commune esse anonymo alioqui non notum somniger v. 805 ed. R. Peiper. Vratisl. 1875; porro ut Dracontius c. 10, 285 Apollinem dicit plectriferum, ita eundem ille designat epitheto *plectriger v. 86, quod traditum in Ambrosiano ex Dracontio praepropere correxit Peiperus; namque ex Bongarsiani lectione peletri iuri eodem iure plectrigeri elicies quo plectriferi[3]). Denique novavit incertus *planctiger v. 118 a Rothmalero bene inventum. Quibus observatis etsi multum abest ut praesidii aliquantulum accedere putem illorum sententiae,

---

1) In versu d. d. II, 65 praetuli quod exhibet Vaticanus denuo excussus in app. ad opp. Ang. Mai. Romae a. 1871 edit. pg. 18 „vivida cunctiparens e. q. s.; compositum Prudentium invenisse vidimus.

2) cf. Duhn. praef. pg. VIII. Baehrens. Fleckeis. ann. 1873 pg. 271. Peiper. pg. 44. Conr. Rossberg. in Dracont. carm. min. et Orest. trag. obs. crit. Stadae 1878 pg. 3.

3) Itidem peccavit qui apud scriptorem epithal. Laurent. A. L. 742 votifer v. 15 et singulare votiger v. 59 praeter necessitatem adsimilavit L. Mueller. mus. rhen. XXII. pg. 95. Nil enim offensionis in tali varietate vel optimis iucunda; qua de re Vergili si placet vel Ovidi consulas indices; cur vero rarius votiger maluerit praeferre Muellerus procul habeo causas. Ceterum anonymi singulare est *folligena v. 63, quod debetur Burmanno.

tamen nescio an uterque arguatur eiusdem scholae sectator, Feliciani fortasse. Huc etiam referas quod uterque eadem fere in *alis* exeuntia frequentavit adiectiva, quod videbis si compararis quae contulerunt Duhn. ind. pg. 103 Maehlyus praef. pg. VIII. Schenkel. praef. pg. 30 addiderisque ex carmine de deo haec: amphitheatralis fluvialis furialis genialis immortalis mortalis novercalis triumphalis[1]).

In versu 43 qui traditur in Ambrosiano „candida fluctivagi tendebant carbasa venti" ventorum epitheton audacter dictum est, non tamen quod quasi rudiori poetae incerto exprobres, quod fecit Maehlyus praef. pg. XIII neminem compositum sensu activo antea adposuisse substantivo falso ratus; vide enim a Schenkelio pg. 31 iam adnotatum locum Lucreti I, 404 montivagae ferae et adde eiusdem II, 597. 1081 montivagum genus, Catulli 63, 72 nemorivagus aper, Senecae Phaed. 792 et Nemesiani ecl. 3, 17 montivagus Pan, ut alia mittam[2]). — Ceterum in fine versus Orestis tragoediae modo adlati Bongarsiano qui exhibet *ponti* (*penti* a man. sec.) iusto plus tribuens Schenkelius scribi maluit *borrae*. Sed ut *venti* est aptissimum, ita Bongarsiani lectio mero orta est librarii errore; irrepsit enim mendose repetita ex fine versus alterius prioris „interea findebat iter per *caerula ponti*", cui peccato quae antecedunt litterarum (*caerula* et *carbasa*) valde favit similitudo. Praeterea ab

---

1) Atque metra accuratius rimanti color haud una in re agnoscitur fere idem, modo tragoedia componatur cum Draconti Helena (c. VIII); unde hi evadunt calculi: Orest. trag. pes primus spondiacus in vv. $108\,{}^{2}/_{9}$ (9 ex.), dactylicus in vv. $3\,{}^{1}/_{2}$ (277); pes quartus spondiacus in vv. 25 (39) dactylicus in vv. $19\,{}^{1}/_{10}$ (51); c. VIII sunt numeri $46\,{}^{11}/_{14}$ (14) et $4\,{}^{1}/_{3}$ (152) et $19\,{}^{4}/_{5}$ (33) et $18\,{}^{1}/_{6}$ (36).

2) Singulari sensu post Martianum Cap. (IX, 896 ignivaga denuntiatio) dixisse Corippum Ioh. IV, 24 equos ignivagos et VI, 371 procellas ignivagas submoneo Uhdolphi causa, qui adiectivorum compositorum vim comparativam apud Latinos esse nullam contendit l. l. pg. 5.

Ovidio [1]) inde lubuit poetis verba illa carbasa venti coniungere in calce hexametri, qua de re similibusque sollertissime ut consuevit disseruit A. Zingerleius zu spaet. lat. Dichtern Innbr. 1873 pg. 56, ubi nostrum addas locum. Quod vero accedere videatur gravius aperta aemulatione hemistichium dextrum Orestis auctorem desumpsisse putandum esse a Valerio Flacco IV, 422, hoc caveas ne premas; namque a nullo nisi aetate proxume insequentibus hunc lectitatum esse statim contra dicit G. Meynckius quaest. Valer. Bonnae a. 1865 edit. pg. 31 [2]) et fateor apud incertum me non invenisse unde fortiter huic adversarer; neque Peiperus quidquam ex Valerio adnotavit. Nil igitur tribuendum est Bongarsiani libri corruptelae; quae quippe e versu vicino contracta impedit simul quominus plus spatii concedamus lacunae quam ante hunc versum indicavit Hagenus apud Peiperum pg. 45 tempestatis subito exortae statuens intercidisse mentionem; quod quo iure fecerit videre abs re est.

Etenim propositum ut absolvamus iam monet charta. Atque fuere etiam tum qui odissent audaciam; et nihil invenit Sedulius nisi grandisonus I, 18, nihil Auspicius Amoenus Paulinus Petricordiensis Ennodius, nihil denique Arator. At Boethio in versibus quos inseruit libris de consolatione philosophiae audacter conficta placuerunt *frondifluus I, 5, 14 brumae epitheton et *herbipotens IV, 3, 9. Est novum in versibus 457. Iam quoniam desiderabis carmina codicis Salmasiani (A. L. 7—389), cuius anno saec. quinti tricesimo fere quarto factam esse syllogen et aliis probatum erat et

---

1) cf. H. 7, 169. A. A. II, 336. Rem. am. 531. Tr. I, 2, 91.

2) Qui plura contra Meynckium monuit C. Schenkelius in act. ac. Vindob. 1871 pg. 306, me quidem iudice neque excussit rem et fortuitis magis nititur quam manifestas adfert imitationes; atque unum ut promam vix ei credes statuenti Claudiano IV. cons. Honor. v. 143 (corniger Hammon) exemplo fuisse Valerium II, 482, si memineris de stabili huius epitheti usu quae diximus pg. 27.

amplioribus nuper firmavit argumentis C. O. Schubertus[1]), etiam haec adponam singularia: litiger 254, 19. mundiger 240, 12. sellifer 159, 4. sereniger 389, 2. Bacchigena 117, 3. imbrigena 136, 4. nymphigena 177, 3. paludigena 94, 1. pontivagus 120, 7. serenifluus 241, 1. nariputens 205, 4. In versu autem 176, 6 quid scribendum sit parum constat.

Festino ad Venantium Fortunatum[2]) cuius ex libris de vita Martini haec accipe nova: *amoenifer IV, 4. *unguifer I, 497. *albicomus IV, 2. *falsiloquax I, 92. *millimodus III, 303. Sunt singula in vv. 449 (5 in vv. 2245). Accedunt vero *almificus misc. II, 21, 2. *frugiparens misc. III, 13, 12. ignivomus misc. III, 9, 3. *luciferax misc. II, 4, 3. *rusticola misc. II, 5, 2. V, 5, 109. *undifragus misc. VII, 31, 2. de excid. Thuring. I, 107. In versu misc. VII, 4, 11. accipio *dulcisonans quod non caret codicum auctoritate; cf. etiam Schenkel. act. ac. Vindob. a. 1863 t. XLIII pg. 50.

Agmen claudat Corippus; qui qua insignis est optimorum aemulatione paucis exceptis quae sua fecit recentia paucioribusque quae ipse invenit Vergili Ovidique contentus fuit copiis. Atque Mazzucchellium qui Corippum Ioh. I, 100 urbicapus (urbicuius codd.) a Plauto Mil. 1055 adsumpsisse censebat, cui male adstipulatus est Luc. Muellerus de re metr. pg. 383, iure suo carpsit I. Partschius in Hermae t. IX pg. 301, qui nomen proprium latere perite suspicatur. Verum nova invenies haec: *lanifer Ioh. III, 164. *lymphiger Ioh. III, 145. VII, 246. mellificus Ioh. VI, 339. *albicolor de laud. Iust. I, 327. *ensipotens Ioh. IV, 925. VI, 420. de laud. Iust. IV, 366. ignivagus Ioh. IV, 24. VI, 371. *colubrimodus de laud. Iust. praef. 4. Admisit igitur singula in vv. 913 (7 in vv. 6391), unde satis perspicitur Corippi modestia.

---

1) De anth. cod. Salmas. quaest. p. I. diss. Lips. a. 1875 Vimariae edit. pg. 16 sqq.

2) De quo vide quae dixi supra pg. 11.

Hic iam sistamus pedem securi quae huius aevi desideres carmina minora; sed de plerisque res adhuc est incertissima neque iuvat plura congerere. Ceterum quin unum alterumve in conscribendis indicibus me fugerit fefelleritve non dubito; et probe scio qui prosae orationis scriptores ἀρχαΐζοντας maxime a saeculo p. Chr. secundo pertractarit, ei multa me praebuisse corrigenda, quamvis fatendum sit vel tum scriptores adsumpsisse magis poetica quam suppeditasse poetis ornatum.

Vita.

Natus sum Fridericus Seitz die X. mensis Mai. anni h. s. LIII Usingi in oppidulo in Tauni montis radicibus sito Nassoviensi Carolo et Henrietta e gente Senfftiana parentibus. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus per novem annos frequentavi gymnasium Logano-Weilburgense, qua in urbe viginti amplius annis pater iudicis fungitur munere. Cuius scholae tum rectorem Schmittium aeque ac ceteros praeceptores Krebsium Schenckium Stollium Ebhardtium grato semper colam animo. Maturitatis testimonio munitus per annum civis fui academiae Monacensis, per sex menses Lipsiensis, Fridericiae Guilelmiae Rhenanae per biennium. Docuerunt me Buecheler Christ Curtius Heimsoeth Ritschl Spengel Usener philologi, de Doellinger Schaefer de Sybel historici, Carriere Hermann Meyer Prantl philosophi, Simrock Zarncke germanici. Monachi Christi, Bonnae Buecheleri Heimsoethi Useneri philologicis, Schaeferi historicis interfui in seminario exercitationibus. Praeterea societatis epigraphicae Buecheler per ter senos menses, philosophicae et paedagogicae Meyer per annum participem summa liberalitate me admiserunt. Quibus viris omnibus gratias ago quas debeo maximas.

Sententiae controversae.

1. Theogn. v. 22 non offendit quod traditur ὧδε δὲ πᾶς τις ἐρεῖ.
2. Catullum ante d. V. Non. Quintil. a. DCC. u. mortuum esse verisimile non est.
3. Egnatium Catullianum eundem esse atque poetam praepropere statuit Aem. Baehrensius anal. Catull. pg. 45.
4. Catullo plenas formas restituas velim etiam has: c. 64, 200 *qualei* 68^a, 29 *cubilei*.
5. Catull. c. 64 incipiendus est v. 48 *aedibus* in mediis e. q. s. — C. 76 v. 22 conicio „expulit ex omni *corpore* laetitias.“
6. Tibull. I, 1, 46 scribendum propono „et dominam tenero *clam* tenuisse sinu.“
7. Tac. ann. XIV, 38 „sed nihil aeque quam fames affligebat serendis frugibus incuriosos, et omni *aetate* ad bellum versa“ defendo contra O. Clasonium, qui *aestate* scribit in Fleckeis. ann. 1870 pg. 479.
8. Orestis tragoediae quae vocatur non prorsus abiciendus est liber Ambrosianus.
9. Orest. trag. inter vv. 42 et 43 ed. R. Peiper. lacuna non est.